

*cus* etc.; et si analogiam continuare velis: *Carex heleonastes*: *C. glareosa* = *Carex aquatilis*: *C. salina* = *Salix fusca*: *Sal. rosmarinifolia*, omnia simul sumta longam, sed æqualem et naturæ consentaneam analogiam construunt. Quorum differentiae proxima causa aura maritima esse videtur, nonnihil frigida atque humida.

§. 59.

*Vegetatio litoralis*, continet plantas mere litorales, quas aqua salina fluctibus sæpe alluit, quæ ob hanc causam succosæ, quasi sale prægnantes, vel etiam obesiores ob pinguedinem ex vegetabilis in litore marino putrescentibus factæ, in alteram partem, vegetationi orariæ contrariam, vergunt, minima licet loci distantia. Hinc quoque varietates variæ exstire, ex quibus nonnulli etiam species creare voluerunt. Ex. gr. *Hippuris maritima*; *Scirpus palustris*  $\beta$ . (Wahlenb. Fl. Lappon.) *s*); *Scirpus rufus*  $\beta$ . *balticus*; *Scirpus lacustris*  $\beta$ . *litoreus*; *Juncus balticus*! (si cum *J. glauco* comparetur); *Carex salina* respectu *C. aqua-*

*s*) Legi ad Lyngensfjord 1829. Gluma illa, quæ in *Scirpo palustri* *s. uniglumi* Link, character essentialis forsitan habetur, in hac varietate nunc adest, nunc deest. Forma glumarum variabilis, obtusa et acuta. Itaque nihilo nisi colore atrofusco, atque habitu solidiore differre videtur. Radix omnino multicaulis.